PROGRAMM

des

Gymnasiums zu Bautzen,

womit zu den

am 18., 19. und 20. März d. J. zu haltenden

öffentlichen Prüfungen

und der

am 24. März Statt findenden

Gedächtnissfeier des Dr. Gregorius Mättig

im Namen des Lehrercollegiums

ergebenst einladet

der Rector

Prof. Dr. **Otto Kreussler,**

Ritter des K. Sächs. Verdienstordens.

Otto Kreussler

Inhalt:

Bautzen 1872.

Druck bei E. M. Monse.

Bericht folgt

Ottonis Kreussleri
Observationes in Ovidii Fastos. *)

I 41 *Tertius a senibus, iuvenum de nomine quartus:*
Quae sequitur, numero turba notata fuit.

Sic fere editores hos versus inciderunt et sublata longioris versus cum breviore coniunctione ad explicandam priorum incisorum sententiam supplent verbum substantivum. Nec dubium videtur, quin haec 'tertius mensis a senibus est' eo sensu quo illa V 78 *Iunius a iuvenum nomine dictus* aut met. V 411 *a cuius stagnum quoque nomine dictum est* ac simili elocutionis compendio dici potuerint quo nota ista *ab Andria est ancilla haec* vel *hoc a Maurico novum non est.* Ac multis aliis modis simplex *est* vicem implet gravioris verbi quale aut Germanae linguae usus flagitat aut ipsa Latina consuetudo suppeditat. Cuius rei exempla ponam haec ex Cicerone sumpta: *evolve eius eum librum qui est de animo* Tusc. I 11, 24. III 18, 42. IV 34, 72. *philosophia quae est de vita et moribus* III 4, 8. *quintam naturam esse e qua sit mens* I 10, 22. *lugubris lamentatio ex eo est* I 13, 30. 27, 67. *ut est in vetere proverbio* II 4, 11. *est enim: quod M. Tullius falsum senatusconsultum rettulerit* pro dom. 19, 50. *in quibus erat, se audisse* ep. ad Att. XI 7, 2. Tusc. I 2, 3. *est apud Heraclitum de Hermodoro* V 36, 105. *ubi est igitur in foedere Gaditano, ne quem — recipiat?* pro Balb. 14, 32. Nec desunt similia apud posteriores scriptores, velut quod addubitatum est apud Censorinum 2, 2 *in eo libro cui titulus est Atticus et est de numeris;* et apud Plinium ep. VIII 2, 8, ubi quod exhibet Aldina *expertus, non esse* (i. e. valere) *apud me*

---

*) Non quaesivi programmatis edendi occasionem; sed necessitate imposita ut aut ἀσύμβολον sollennem annalium scholasticorum libellum in vulgus emitterem aut meam quandam opellam comitem adiungerem, alterum praetuli quamquam neque satis praeparatus ad rem neque literario apparatu opipare instructus, sperabamque fore, ut qui haec forte legerent, si quid ab aliis occupatum, a me praetermissum viderent, id boni aequique facerent.

ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἰ μὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός aut totum servari debebat aut recepta Schaeferi coniectura, quam novissime recepit Henricus Keil, omittenda erat particula adversativa *non esse apud me ἐν ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸν ἠδὲ καὶ ἐσθλόν.* Itaque ut dici posse *tertius mensis est a senibus,* quamquam consimile quid non inveni, tamen concedo, ita nego hoc fieri posse omisso verbo substantivo, cuius in tali enuntiatione gravior est vis. Neque movet me, aliter ut statuam, vel illud quod infra legitur IV 33: *Huius Erichthonius, Tros est generatus ab illo*; nam hic habet omissio excusationem aut ex vulgari constructionis usu aut ex proximo versiculi membro; vel si quis quid familiariter locutus est ut in epistolis Cicero *ego statim, cedo, inquam, si quid ab Attico* (ad Att. XVI 13 a 1). Quid multa? Nempe mutata interpunctione haec statuenda est verborum constructio 'tertius mensis notatus fuit a senibus, quartus de iuvenum nomine, numero denique turba ceterorum'. Quae constructio non durior est — quamquam vix opus est exemplis in re nota — quam in illis VI 375 *Tunc Venus et lituo pulcher trabeaque Quirinus Vestaque pro Latio multa locuta suo est.*

I 49 *Nec toto perstare die sua iura putaris.*
Qui iam fastus erit, mane nefastus erat.

Sententia horum quae sit, patet; agitur de diebus intercisis. Sed ambigo de integritate scripturae prioris versus. Etenim ista per ablativos facta temporis notatio *toto die* non videtur sufficere ad indicandam eam subiecti notionem — logicum subiectum vocant — ad quam pronomen *sua* apte referatur. Ad perficiendam sententiam tali sermone opus erat 'toto die perstant huic diei sua iura'; nam *huic diei perstant* idem est quod *hic dies obtinet.* Iam totum hoc poterat poeta, imo vero debebat rectius et simplicius proferre per solum dativum. Sensit sermonis vitium scriba codicis Thuanei quum emendaret *tua iura putaris,* magis tamen grammaticae rationi consulens quam sententiae integritati. Ovidium autem scripsisse puto *Nec toti perstare die sua iura putaris.* In promptu est erroris causa. Non amat Ovidius antiquiores formas, saeculo indulgens qua argumento qua dictione poesis suae. Quid mirum, quod proni ad exstirpanda insolita librarii rara quae legentibus obvenerunt exempla rariora etiam industria sua fecerunt. Et *fide* quidem pro *fidei* positum ex librorum auctoritate his tribus locis metamorphoseon legitur III 341 *prima fide tentamina;* VII 728 *tentamenta fide;* 737 *fide satis experientia magna;* uno loco servatum est Prisciani testimonio VI 506 *utque fide pignus;* nam libri nostri praebent *ut fidei pignus.* Praeterea nihil simile legitur in totis Ovidii carminibus, nisi quod *die* pro *diei* scribarum culpa bis delituit in Fastorum opere. Et alterum quidem locum iam ex coniectura restituisse mihi videor; in altero qui est infra

V 681 *Ablue praeteriti periuria temporis, inquit,*
Ablue praeterita perfida verba die

quid flagitaret quum sensus (nam *praeterita die* non potest non cum verbo construi) tum orationis concinnitas, perspexerunt et auctores primarum editionum *praeteriti die* exhibentium et glossator codicis Vossiani addita nota *die pro diei.* Sed acu rem tetigit Scaliger scribendo *Ablue praeteritae perfida verba die.*

I 53 *Est quoque, quo populum ius est includere saeptis:*
Est quoque, qui nono semper ab orbe redit.

His designat poeta priore versu diem comitialem, altero nundinas, quae dicuntur semper 'a nono orbe' redire. Non explicatum video istum nonum orbem; nam novenorum dierum orbem intellegi nec ipsum numerale nomen patitur neque novenus orbis dici posset nisi de novem diversis orbibus ut Musae apud Statium 'ignem quatiunt *novena lampade*' i. e. novem facibus et infra II, 23 *ternus lictor* intelleguntur tres lictores. Aut fallor aut scriptum erat *qui nonus semper ab orbe redit.* Simili errore laborat quod est in Am. I 8, 16 *oculis quoque pupula duplex Fulminat et gemino lumen ab orbe venit.* Etenim geminus orbis si idem putatur esse quod duplex pupula, profecto non magis quis miretur ex binis pupulis exire lumen quam ex singulis. At hoc dici debebat, ex singulis oculis duplex effundi lumen; id autem non potest aliter significari nisi si scribitur *et geminum lumen ab orbe* (i. e. oculo) *venit.*

Ceterum superiore disticho poeta prolixius, sed apte, ut solet, designat eas res, quarum privas voces versu dicere non est. Satis notum, quantum incommodi Latinis poetis aliquando paraverint inhabilia ad dactylicos numeros vocabula (Ovid. Pont. IV 12, 1 sqq. 14, 1 sq. Hor. sat. I 5, 87); minus fortasse, quantum constans quorundam vocabulorum abstinentia aut angustior usus praebeat adminiculi ad declarandam eorum prosodiam. Nam vocabulis *propitius* et *statim* abstinent dactylicorum versuum poetae, *temere* et *facile* non adhibent nisi ultima elisa, ut nihil contra valeat nec Vespae si qua est auctoritas nec titulus Scipionis (Bücheler, Grundriss der lat. Decl. p. 50). Usurus sum hac observatione ad constabiliendum vocabuli ab Ovidio evitati quod est *nundinae* accentum, cuius qui adhuc unicus citabatur testis Prudentius *(iubet Reum citari; nundinatum hunc arguit),* in tali re non multum habet auctoritatis. Sed audio ad analogiam provocari. Recte quidem; at haec ipsa quibus circumscripta sit terminis, non semper accurate observatum videtur. Spectat res ad magnam adiectivorum nominum in inus exeuntium copiam, quorum quae sunt Graecae originis corripiunt paenultimam exceptis gentilibus *Acragantinus;* producunt contra mere Latina praeter pauca quaedam, de quibus postea dicam. Et Graeca quidem non rara inveniuntur poetarum auctoritate firmata *adamantinus amaracinus amethystinus bombycinus cannabinus carpatinae Casina*, de quo nomine nuper docte exposuit Alfredus Fleckeisen in ann. phill. CIII p. 637 sqq., *corallinus crocinus gausapinus hyacinthinus nardinus prasinus thalassinus.* Hinc perperam in lexicis nonnullis notatur *crocodilina* quasi vitulina, quod tamen eodem accentu quo ceratina vel rectius *crocodilines* ut *ceratines* pronuntiandum esse, monuit Lobeckius path. p. 215; neque aliter *chersines. Elephantinus* quidem correpte dici vere notatum; cur non etiam *Elephantine?* Sed *camelinus* et *pantherinus* producte proferunt, nescio an eo quod apud Graecos *καμήλινος* et *πανθήρινος* desideretur; tamquam veterum usus lexicorum sit cancellis circumscriptus. Certe Plautinus versus Epid. I 1, 16 nihil contra decernit; *canterinus* autem, quod indubitate longam habet paenultimam, ius Latii acquisivit ex ipso substantivo quod ex Graeco ductum non est Graecum. Restant, nisi quid horum me fugit, *ostrinus* et *hydrinus.* Productio prioris prodit contractionem *ὀστρεΐνος;* alterius contra productio auctoris nisi fallor imputanda est inscitiae *(hydrina suetus*

ire inustum vulnera Prudent.). — Amplior Latinorum adiectivorum copia cum paenultima producta *divinus amitinus ferinus anserinus olorinus funginus marinus clandestinus inquilinus festinus supinus Caprotinae;* nec porro dubitandum erit de his *picinus* et *triticinus,* nec de *parietinis,* cuius productionis fidem praestat vel *arietinus.* Sed adversari videntur alia indubii rhythmi vocabula *faginus ferruginus oleaginus.* At patet causa correptionis, quippe a pleniori ac vulgari forma quae erat *fagineus ferrugineus oleagineus* translatae ad decurtatam, ne poetae (nam a poetis talia profecta sunt) magis novasse quid quam leniter immutasse viderentur, qui simili ac maiore etiam licentia usi sunt in his *fraxina virga* et *succina gutta.* Eandemne ad normam revocandae an ut alienigenae lege omnino eximendae sint voces *galbinus* Martial. I 96 9 Schneidew. et *blattinus* Eutrop. V 14 (9), in suspenso sit. *Fucinum* suum Marsi defendant; *relicinus* autem *Marsyas* et *licini boves* exspectent iudicium, donec paenultimae eorum constiterit de quantitate literae longae quae eadem brevis esse potest. Sed exstant praeterea adiectiva temporalia, quae propositae regulae non sunt subiecta, nec tamen ad unum omnia. Et *matutinus* quidem ac *vespertinus* servant communem legem, migrant haec *crastinus pristinus diutinus* et si vere ex Ovidii silentio iudicavi *nundinae,* quod trahit *perendinus* et *comperendinus.* Sed qua auctoritate aut confirmem aut refutem opinionem quam vulgo habent de his *annotinus hornotinus serotinus* cui similitudinis causa accedat *rumpotinus,* non habere me fateor. Dubitatio nulla est de tribus numeralibus quae sunt *binus trinus geminus.* Finem autem faciant duo corripiendi necessitatem prae se ferentia apud fustitudinas ferricrepinas insulas.

I 325 *Pars putat hoc festum priscis Agnalia dictum,*
Una sit ut proprio litera dempta loco.

Poeta quum praecedentibus distichis duas nominis Agonalium causas protulisset, tertiam addit adeo in fontibus nostris obscuratam, vix ut quid sibi voluerit pelluceat. Nam si hoc voluit, id quod primo obtutu videatur, quae prisca memoria dicta fuerint Agnalia ex agnis ducto nomine, ea postea vitiose Agonalia esse appellata, recte quidem se haberet ea sententia, at non demptam literam, sed additam dici oportebat. Contra si significare voluit, veteres Agonalia quae proprie dicerentur dempta vocali appellasse Agnalia, quae tandem est ista appellationis causa? Sed accedit alia difficultas. Nam quae nunc leguntur versu 331 quis credat ab elegantissimo poeta sic scripta fuisse ut, postquam dilucide singulas sententias his verbis distinxit *pars credit, pars putat, an lux est notata a pecoris metu, fas etiam diem Graecum tulisse nomen,* iam extremam causam tam elumbi oratione adjungeret: *Et antiquus sermo — — dicebat?* His difficultatibus quomodo succurrendum esset, dudum optime perspexit Ioannes Schrader, cuius sententiam ut non est secutus ita certe in lucem protulit Rudolfus Merkel praef. editionis majoris p. CLXIV. Vidit enim vir ingeniosissimus, ea quae disticho supra posito continentur lucem accipere ex iis quae versu 331 leguntur nec posse haec nisi cum sensus iactura divelli. Praeclare id quidem; neque tamen transposito illo disticho post versum 330 aut ingenio poetae satisfactum aut fons erroris patefactus esse videatur. Nisi egregie fallor, transcripta sunt nostra exemplaria ex tali codice, in quo quae disticha causas ex Latinae linguae proprietate

desumptas comprehenderent uno tenore legerentur, in marginem reiecta essent ea quae graecas continerent derivationes, sive id casu sive ipsius manu Ovidii factum existimamus. Quae postmodo alieno loco interiecta mutari coegerunt initium versus 331, in suum autem restituta locum et sententiarum restituunt integritatem et orationis quendam ornatum. Nam non apte dirimi, id quod fit Schraderi coniectura, quae eodem vocabulo exordiuntur disticha, intellegenti harum rerum homini perspicuum est. Iam habeto totum omnium versuum ordinem:

Nominis esse potest succinctus causa minister,
Hostia caelitibus quo feriente cadit;
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros
Semper agatne rogat nec nisi iussus agit.
An quia praevisos in aqua timet hostia cultros,
A pecoris lux est ipsa notata metu?
Fas etiam, fieri solitis aetate priorum
Nomina de ludis Graeca tulisse diem.
Pars, quia non veniant pecudes sed agantur, ab actu
Nomen agonalem credit habere diem.
Pars putat hoc festum priscis Agnalia dictum,
Una sit ut proprio litera demta loco.
Nam pecus antiquus dicebat agonia sermo;
Veraque iudicio est ultima causa meo.

I 637 *Candida te niveo posuit lux proxima templo,*
Qua fert sublimes alta Moneta gradus:
Nunc bene prospicies Latiam, Concordia, turbam:
Nunc te sacratae constituere manus.

Optimi libri consentiunt in scriptura *prospiciens* et alterum *nunc* in suspicionem vocat quorundam librorum lectio *hic*. Praeterea quaeri potest, quam in sententiam dicta sint haec *Quo fert sublimes alta Moneta gradus*. Adolphus Becker Topogr. Rom. p. 393 et 415 quum a Concordiae templo ad Monetae escensum fuisse contendit, provocat ad haec ipsa verba; sed quo iure, non liquet. Nam qui 'gradus sublimes ferre' dicitur, haud dubie non is est qui ex inferiore loco petatur, sed qui ipse superiorem petat. Itaque templum Concordiae, quod hic commemoratur, eo loco conditum fuisse necesse est, quem ex aliqua parte (nam *qua*, non *quo* scriptum legitur) attingerent gradus a Monetae templo assurgentes. Iam reliqua considerata scripturae varietate, nescio an manum poetae restituamus sic scribendo:

Candida, te niveo posuit lux proxima templo,
Qua fert sublimes alta Moneta gradus,
Nunc bene prospiciens Latiam Concordia turbam,
Ut te sacratae constituere manus.

Apparet talem desiderari sententiam 'o Concordia, quae nunc ex quo te Caesar exaedificavit prospicis populum Latinum' etc. Quod autem pro *nunc* restitui *ut* (lenius videri possit *quum*, quod tamen minus exprimit illud quod requiritur *ex quo*), non est istud vim facere; nam saepius per codices Ovidii peccatum est in parti-

culis sive ab oscitantibus scribis sive pravo utentibus iudicio. Cuius rei quatuor afferam exempla. Primum legitur

II 853 *Fallimur, an veris praenuntia venit hirundo*
Et metuit, ne qua versa recurrat hiems?

Quis credat hic ferri posse metum hirundinis? Praeclara nimirum ista praenuntia, quae contrarium rei quam praenuntiat metuat ac non potius sibi cavens domi maneat. Sed ponamus, hoc ita esse; at quid tum sibi vult *tamen quereris* pro eo quod dici debebat ʻergo quererisʼ! Hic quoque nihil iuvat librorum levis discrepantia *an metuit.* Scribendum est quod sensus flagitat *Nec metuit, ne qua versa recurrat hiems.* — Reliqua exempla sumam ex Tristium libris. Quae scripta sunt I 1, 35 *Ut peragas mandata, liber, culpabere forsan Ingeniique minor laude ferere mei,* in his sive concessivam esse particulam iudicas sive finalem, perinde est ad sententiam; verba sensu carent aut apto aut ullo. Sensit hoc auctor eius quae in codice Pirckheimeriano inventa est scripturae *cum peragas*; qui si *cum peragis* scribere voluit, sensui quodammodo consuluit, a veritate longe afuit. Nam haud dubie poeta voluit hoc dicere ʻquod si invehentur in te vituperabuntque eo consilio, ne quod tibi mandatum est perficiasʼ. Id autem consequimur scribendo *Ne peragas mandata, liber, culpabere forsan.* — Eodem carmine quae leguntur versu 87 *Ergo cave, liber, et timida circumspice mente, Ut satis a media sit tibi plebe legi* ne post ea quidem quae docte exposuit Rudolphus Merkel p. 11 sq. alium admittunt sensum nisi hunc ʻcura ut satis tibi sit a plebe legiʼ, id quod abhorret a consilio poetae ut quod maxime. Sententiarum connexus hic est ʻQuaeris, liber, domum Augusti adirene te iubeam annon. Horreo sane locum istum, unde summa mihi parata est miseria, ac nescio an melius tibi sit versari in manibus plebis atque ita gratiam mihi ac salutem parare. Neque tamen possum ex hoc exilii mei secessu diiudicare utrum *remis* i. e. longiore illa via uti melius sit an *aura* i. e. breviore via, qua continuo adeas Caesarem, si modo vacare eum ac defremuisse compererisʼ. Ex his patet, nihil veri inesse in lectionibus *ut satis, et satis, non satis;* unice veram esse scripturam *an satis a media sit tibi plebe legi,* quod minus latine scripseris ʻannon satis sitʼ. — Elegiae libri ultimi XIII haec sunt extrema *Accipe quo semper finitur epistola verbo; Atque meis distent ut tua fata, vale!* Scire velim, cur valere amicum iubeat poeta, quo sua fata distent ab amici. Immo hoc debebat dicere *Atque meis distant quo tua fata, vale.* Omissum erat vocabulum *quo,* deinceps lacuna male expleta.

III 105 *Quis tunc aut Hyadas aut Pleiadas Atlanteas*
Senserat —?

Habet aliquid offensionis productio brevis syllabae. Non omnino quidem; sed quantum sibi hac in re quamquam intra certos quosdam fines indulsit Ovidius in vasto metamorphoseon opere, tantum non iudicavit concessum esse in elegiaco carmine, adeo ut hoc ipsum Fastorum opus paene immune sit famigeratae illius licentiae poeticae. Namque eam in partem non referenda sunt talia *dederis in carmina vires* I 17 coll. 116. II 674. VI 215; neque haec *flamma petit altum* I 109. *ut rediit animus*

III 330 coll. 474. IV 721. V 515; nec denique quod est VI 488 *sanguis ille sororis erat.* Unicum insolitum restat III 500 *hic laedit, ille pudendus amor,* quem ad modum haec ex coniectura Merkelii constituta sunt. Quae quum ita sint, haud scio an hoc loco obliterata sit dicendi quaedam figura nuper ab amico Gebauero docte illustrata in Theocrito a Vergilio expresso p. 32 scripseritque Ovidius *Quis tunc aut Hyadas, quis Pleiadas Atlanteas Senserat?* Locis ab illo viro citatis adde haec Verg. ecl. IV 6 *Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna.* Aen. VI 327 *Odit et ipse parens Pluton, odere sorores.* VII 75 *Regalesque accensa comas, accensa coronam.* VIII 91 *mirantur et undae, Miratur nemus insuetum.* X 313 *perque aerea suta, Per tunicam — latus haurit apertum.* 369 *per vos et fortia facta, Per ducis Euandri nomen.* XI 171 *Tyrrhenique duces, Tyrrhenum exercitus omnis.* Ovid. met. V 612 *Per tamen et campos, per opertos arbore montes.* Plin. ep. VII 4, 6 *atque fatemur Tironisque dolos, Tironis nosse fugaces Blanditias.* Neque alienus est hic usus a poesi Graeca, unde desideravit exemplum Gebauerus. Habes unum Soph. Antig. 673 *αὕτη πόλεις τ᾽ ὄλλυσιν, ἥδ᾽ ἀναστάτους Οἴκους τίθησιν,* et gemellum, ut dudum monuit Godofredus Hermann, versu 296 *τοῦτο καὶ πόλεις Πορθεῖ, τόδ᾽ ἄνδρας ἐξανίστησιν δόμων.*

III 593 *Vincitur ars vento, nec iam moderator habenis*
Utitur, aut votis his quoque poscit opem.

Non satis dilucida est apud Merkelium variarum lectionum expositio. Video plerosque libros habere *votis is quoque poscit opem,* reliqui variant *his quoque, dis quoque, hic quoque.* Rursus alii *aut votis* alii *ac votis* vel *et votis* vel *a votis.* Brevi praecidam; mihi Ovidius videtur sic scripsisse: — *a votis, si quoque, poscit opem.* *Si quoque παρενθετικῶς* usurpatum ut *si minus, si forte, si adeo* restituit Merkelius Trist. I 1, 112 *Tres procul obscura latitantes parte videbis, si quoque.* Peculiare Ovidio est etiam hoc genus *sero quoque, nimium quoque,* nostrum „nur zu spät, nur zu sehr", Fast. I 437. II 129. Her. VI 53. Trist. IV 10, 99. Pont. III 9, 49.

III 693 *Ridet amatorem carae nova diva Minervae.*

Mars quod amaret Minervam, poterat ridiculum videri; at amare eum quam caram haberet, probum erat. Ineptum hoc quidem loco epitheton *carae,* commutandumque cum eo quod flagitat res *Ridet amatorem castae nova diva Minervae.*

IV 479 *Iamque Peloriaden Lilybaeaque iamque Pachynon*
Lustrarat.

Retinuit Rud. Merkel in utraque editione miram hanc formam *Peloriaden,* tamquam *Peloriades* esset promunturii nomen, non *Pelorias, Πελωριάς.* Recte haud pauci codices *Peloriadem.*

IV 866 *Multa professarum quaestibus apta Venus.*

Multa qui interpretati sunt, videntur ipsa interpretatione confessi esse non intellexisse se vocem *multa.* Nec interpretanda, sed corrigenda erat. Scripsit Ovidius haud dubie *Rite professarum* i. e. apud aediles.

V 661 *Hactenus, ut subiit vivo rorantia saxo*
Antra, leves cursum sustinuistis aquae.

Supra III 652 cur Numicius dicatur 'sustinuisse tacitas aquas', et patet et additum est a poeta; tacent enim qui culpae sibi conscii sunt. Ast hoc loco nondum intellectum mihi est, cur Tiberis amnis aquae cursum sustinuerint non dum loquitur deus, sed postquam finito sermone antrum subiit. At dormitum ibat. Fortasse, sed quid ad rem? aut quid miraculi opus erat commemoratione in communi re? Immo hoc credibile est dictum fuisse: deum, dum quae poeta sciscitatus est exponit, non interpellari se passum esse undarum strepitu; exposita re interruptum fluminis cursum redintegrasse. Habemus hoc, si scribitur *leves cursum restituistis aquae.*

VI 661 *Dulcis erat mercede labor, tempusque secutum,*
Quod subito Graiae frangeret artis opus.
Adde quod aedilis, pompam qui funeris irent,
Artifices solos iusserat esse decem.

Non temporis diuturnitate fracta esse memoratur ars musica: sed certa erat causa, cui aliam addit poeta versu 663. Nec iniuria tibicinum ad rem funeream tantummodo spectabat, de quo qui narraverit praeter Ovidium non alius exstat auctor, sed etiam ad sacrificia et ludos, ut et poeta tecte significat versibus 659. 667, et diserte testantur ea quae tradita sunt a Liv. IX 30. Val. Max. II 5, 4. Plut. qu. Rom. 55 p. 277. Itaque non dubito, quin post prius quod supra posui distichon unum exciderit, quod contineret desiderata quoque illud *adde* apte referretur.